

in ea serit tanquam in subacto arvo, quod fit, quando quis suis indulgens sensibus, carnemque molliter fovens suam, omne suum studium consumit in cultu corporis. Ac similiter seminare in spiritu est, vel de spiritu promere quod semines, id est, quod operaris duce facere spiritu: vel in ipso ornando et excolendo ponere tuam operam, et studium. Nam pro natura soli, quod seritur, segetes provenire solent. QUI SEMINAT IN SPIRITU, METET VITAM AETERNAM. Vitam aeternam corruptioni opposuit, itaque praemium bonorum, vitam, poenam malorum, corruptionem appellavit, sed cur quaeso malorum poenam mortem et corruptionem appellat? Num mali, cum e vita decedunt, omnino extinguuntur, an potius vivunt eorum animi morituri nunquam? vivunt certe, sed eorum poenam, jure sacrae Litterae appellant non solum corruptionem atque mortem, sed mortem secundam, hoc est, mortem acerbissimam, idque multas ob causas. Una quia obscuro in loco mali conclusi vincti tenentur, qua in re mortuos imitantur. Altera quia sempiterna oblivione sepulti jacent, quod etiam mortuorum est proprium. Tertia quia quos sensus, quasque animae facultates habent, ad dolorem ad acerbissimam, ad cruciatum sui ipsorum habent, non autem ad aliquem rectum aut jucundum usum. Nam oculis praeter ea, quae horrorem animis inculant, nihil vident: auribus nisi auditu tristitia, et ingrata, et formidolosa, non excipiunt: rationis porro et intelligentiae vis id efficit, ut in suorum malorum cogitatione perpetuo defixi, miseros se esse et agnoscant, et doleant. Quare si sensibus carere mori est: et illi ita sensus habent, ut non habere praestaret; sine dubio mortui censendi sunt mortis genere omnium acerbissimo. Quod mors secunda dicitur, non quia priorem mortem, qua a corpore separatur animus, sequitur, sed quia est geminata mors. Nam illa prior simplex quaedam mors est, id est, mors sensibus expers, caret enim sensu sui: at haec est viva mors, id est, mors mortem, hoc est, seme-

tipsam, suaque mala sentiens atque cognoscens. QUI SEMINAT IN SPIRITU METET VITAM AETERNAM. Sine exceptione dicit fructum vitae aeternae colligi ex eo, quodcumque in Spiritu seminatur, ut intelligatur remissa Spiritus opera ab hoc fructu immerito a nonnullis excludi.

Quod et planius facit quod sequitur: BONUM AUTEM FACIENTES, NON DEFICIAMUS: TEMPORE SUO METEMUS NON DEFICIENTES. In quo et adhortatur universos, in bonis operibus ut insistant, quod bona cuncta opera a Dei gratia profecta sua maneant vitae aeternae praemia, et monet item ut in eo ipso usque ad ultimum vitae perseverent. Nam et in hoc similis est bonorum vitae ratio sationi. Ut enim agricolae non statim atque triticum serunt, sed multo post fruges colligunt: sic praemium officii, atque operis studiose facti non statim datur atque quis recte et honeste quid fecit, sed reservatur dandum in aliud tempus. BONUM, inquit, FACIENTES, NON DEFICIAMUS, id est, non desistamus a benefaciendo, ipso operandi labore debilitati, atque fracti. Recte autem conjungit, aut potius inter se committit tanquam contraria illa duo, bonum facere, et deficere, ut vel ipsa collatione ac nominum vi tacite induceret Galatas ad virtuti navandam constantem operam. Nam cui male succedit institutum opus, is ab eo desistat jure. Artem desinat, qui quod facit, facit prave. At cui pro voto succedit opus, quique omnia ex arte facit, ac ubique artificis egregii laudem assequitur, is si desistat, absurde faciat et inepte. Sed et adhibet Paulus in his verbis aliam rationem eodem pertinentem, cum dicit: TEMPORE SUO METEMUS, NON DEFICIENTES, eo significans perseverandum in bono esse: tum ob ipsum per se bonum, tum ob maximos, qui ex eo capiuntur, fructus. TEMPORE, inquit, SUO. Nam aliud meriti tempus est, aliud praemii: neque nisi statim exhibeatur, ideo nunquam exhibendum est, sua potius tempora unicuique distributa sunt, ne si utrumque simul confunderetur, neutrius satis constaret ratio. Dum vivitur bene

merendi tempus est, ergo hic sudandum, laborandum, nunquam ociandum, ut agricolae sementis faciendae tempore faciunt, nullum enim sibi diem labore vacuum praeterire patiuntur. Recte autem, METEMUS, dixit, verbo ab agricultura translato, ut eo etiam nos ad alacrius in bono perseverandum inducat. Nam agricolae messis tempore fruges metunt: messis autem non longe distat semente. Ergo cum dicit fore ut metamus suo tempore, jubet bono ut animo et confidenti, atque alacri simus, spemque in eo nostram fovet, non solum quia futurum affirmat, ut noster nobis labor fructuosus sit, sed quia brevi talem eum esse futurum confirmat. Volat enim aetas, nihilque ea aut brevius est, aut esse potest fugacius. Itaque metendi tempus cunctis prope adest, sicut scriptum est: Ecce venio cito, et merces mea mecum est (1).

Quod autem addit: NON DEFICIENTES, id dupliciter accipi potest. Uno modo. Metemus non deficientes, id est, sine fine metemus, ut hoc orationis membrum ad superius relatum membrum, quo dixerat, BONUM FACIENTES NON DEFICIAMUS, illi respondeat, itaque dicat. Perseverare in bono decet, si enim ab eo in vita non deficimus, nos in aeternitate non destituet merces. Ergo unusquisque quod sibi ad bene operandum spatii datum est, id in eo ponat et colloget, securus sibi eo in spatio, quod praemiis percipiendis constitutum est, praemium nunquam defuturum. Alio modo accipiatur quomodo id accepit Chrysostomus. NON DEFICIENTES, id est, non defatigati, aut, ut Ambrosius legit, infatigabiles. Nam quoniam dixerat, METEMUS, verbo ab agricultura translato, et agricolae, et cum serunt laborant, et cum metunt graviter aestu vexantur, ne quis crederet et nos messuros cum labore, aut ejus rei gratia aestus graves subituros addidit, NON DEFICIENTES. Quasi explanatius dixisset: Metemus cum dico, non id futurum intelligo, ut fit

(1) Apo. ult.

in messe, in qua interdum plus laboratur, quam in satione, sed sine labore atque sine defatigatione nostra aliqua, immo magno cum nostro gaudio atque laetitia nostra nobis reddentur praemia, quale est illud (1): «Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos»; cui explanationi Syra editio suffragatur, in qua sic: «Metemus tempore suo et non erit nobis taedio». Ex quo etiam alterius et a superioribus diversae explanationis ratio elucet nobis, ita ut dicat Paulus, magna nos manere praemia suo a nobis tempore percipienda, quae nos praemia taedio afficient nunquam, ut certe afficiunt nos taedio corporis et fortunae bona, eorum postquam compotes efficimur. Possit etiam illud, non deficientes, sic explanari. Deficere hic, dissolvi esse videtur, uti e graeco *εκλυομαι*, cujus loco ponitur, constat: docet ergo Paulus, qui sementem bonorum operum in hoc saeculo fecerint, eos magna messuros in morte praemia, qua in morte, inquit, non deficient, id est, non ita dissolventur atque omnino extinguentur, ut bonorum atque praemiorum nullus sensus in illis sit. Etenim immortalis est animus. Nam Paulo in eam orationem ingresso, quae futuri spe monet praesentia contemnere, id restabat docere, animos scilicet hominum perpetuo permanere. Quare illo verbo immortales esse animos firmat, quod nisi firmasset, illius haec adhortatio plane esset inanis. Nec solum immortalitatem animorum illis affirmat verbis, sed et eorumdem ad sua corpora aliquando futurae reversionis spem indubiam facit, mihi ut videtur perinde ac si dicat: Metemus praemia suo tempore non dissoluti; hoc est, non sic affecti, quomodo mors afficit atque dissolvit nos, non animo solum, sed corpore etiam, quod in perpetua cum animo conjunctione, atque una cum illo gloriae praemium metet sempiternum. Nam illud futurae corporum resurrectionis tempus in sacris Litteris praemiis

(1) Psal. cxxv.

conferendis proprie assignatur, sicut scriptum est (1): Vos qui sequuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, etc. (2). Et Paulus de se: Reposita est, inquit, mihi corona justitiae, quam redet mihi Dominus in illa die justus iudex. Ergo et hic, METEMUS, inquit, SUO TEMPORE NON DISSOLUTI, id est, metemus, quando corporibus, quae mors dissolvit colligatis, et cum animo iterum conjunctis, vitae restituti fuerimus.

Ac tandem concludens, dicit: ERGO DUM TEMPUS HABEMUS, OPEREMUR BONUM AD OMNES, MAXIME AUTEM AD DOMESTICOS FIDEL. Quibus planum facit, quae superius de semente facienda disseruit, ad id quod ante praeceperat, de victu suppeditando ministris, retulisse omnia. Nam eorum, quae disseruit, hanc esse summam vult, ut ad omnes bonum operemur, id est, ut simus largi in omnes atque benefici: utque eorum maxime indigentiam sublevemus, quibuscum fides atque religio nobis communis est. Eos enim nominat domesticos fidei, id est, fidei socios, et ejusdem religionis communionem pene familiares, ut vel hoc ipso doceat, quam inter se omnes fideles debeant consentire, utpote, qui non tantum sint concives, sed etiam incolae ejusdem domus. Omnes enim una in domo, patrefamilias uno, domestica eadem disciplina enutriti sumus atque instituti. Quam ad significandam animorum concordiam, nec concordiam solum, sed etiam familiarem convictum, et necessitudinem omnium rerum ipsa Ecclesia, una ab eodem ipso Paulo domus appellatur. Quae est, inquit, domus Dei vivi (3). Et David in quodam Psalmo similiter (4): Qui habitare facit unius moris in domo. Qua si haec fuerit Christi laus propria, quod varias et multiplices, et cum ingeniorum habitu, tum instituto vitae inter se gentes differentes, ad eam redegerit animorum et charitatis consensionem, ut tanquam, qui unius domus, atque familiae sunt, ita unum

(1) Matt. XIX. (2) II Tim. IV. (3) I Tim. III. (4) Psal. LXXVI.

morem inter se omnes, et eandem voluntatem conservent, id quod in illis effecit Christus, dum eas ab studio rerum terrenarum avertit, et ad amanda coelestia excitavit. Nam studium terrenorum seminarium est dissensionum ac discordiarum omnium, sicut scriptum est: Unde bella et lites in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris. Unde et in hoc psalmi versu (1), pro eo quod interpretes graeci verterunt μονοτροπος, id est, unius moris, hebraice est יחידים, quod proprie unicos, et solitarios, et omnino orbos significat. Qui enim se iis, quae appetuntur in vita orbant, ac se pro solitariis atque hospitibus gerunt, ii facile inter se concordare possunt, atque tenere unum morem. Itaque habitare facit Christus, uti canit David, in domo, id est, in sua Ecclesia varia hominum genera magna animorum concordia, quia solitarios, et ob id unanimes ipsos efficit, id est, quia omnia mala cupiditate vacuos cum reddit, eo ipso causas praecidit omnium discordiarum. Atque hujus animorum concordiae, ex terrenarum cupiditatum abdicatione ortae, in primae Ecclesiae fidelibus illustre exemplum conspicitur, de quibus sic Divus Lucas scribit (2): «Multitudinis credentium erat cor unum et anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia». Ideo enim omnium, qui credebant, erat unum cor, quia nemo aliquid proprie possidebat, hoc est, quia cupiditatem ab se abdicabant retum omnium. Sequitur:

5.— Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu.

Postquam ea praescripsit, quae ad moralem doctrinam pertinebant, redit Paulus iterum ad principalem quaestionem de legalium cessatione, cujus oblivisci non poterat, et ex eo quod tantam epistolam super ea re sua manu ad eos scripserit, quanti ea res facienda sit illos docet, nec enim

(1) Jacob. II. (2) Act. IV.

nisi magni momenti res esset, tanta Paulus sua scriberet manu. **VIDETE**, inquit, **QUALIBUS LITTERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANU**, ex hoc enim posteritis intelligere et hic agi magna de re, et multum pertinente ad salutem vestram, et me de vobis, deque salute vestra valde laborare. Nam dum commendat suum erga illos studium, eorum tacite captat benevolentiam, atque in suam eos sententiam inducit. **VIDETE QUALIBUS**. Hieronymus hoc ad quantitatem et magnitudinem litterarum refert, sequutus, ut ipse ait, significationem graecae vocis, quasi dicat Paulus: videte quam grandem epistolam scripserim mea manu. Nam amanuense uti solitus erat Paulus in scribendis epistolis, hanc autem sua ipse scripsit manu, nequis suspicaretur supposititiam esse, nam in tanta impostorum turba, et in tanta dissensione opinionum et animorum super re tam difficili, id vereri, Paulo succurrit. Hilarius in Psalmos, illud, qualibus, refert ad magnitudinem sensuum. At Chrysostomus ad qualitatem, id est, ad characterum figuram inconcinnam, et parum bellam. Erat, inquit, Pauli non optima manus. Quo sensu ait. Videte qualibus, id est, quam deformibus vobis scribam litteris, nam studio salutis incensus vestrae, impetare animo nequivi meo, amanuensem ut manerem, sed ipse statim arripui calamum, usque eo omnia mihi tarda videbantur, dum vos alloquerer, et litteris revocarem ab errore isto tam pernicioso: itaque malui mea, id est, parum scita manu citius ad vos scribere, quam serius aliena atque optima. Augustinus ad qualitatem et ipse refert hoc Pauli verbum, sed non de figura characterum illum loqui censet, sed de genere litterarum aperto et ingenuo. Quasi sic dicat: Videte quam aperte causam egerim evangelicae libertatis, neque vestram indignationem veritus, neque Judaeorum offensione commotus: ex quo etiam intelligetis Evangelii causam in hac praecipue versari quaestione, quod is semel admissus error universam Christianam evertat disciplinam. Cui explanationi consentanea sunt quae sequuntur:

6.—Quicumque volunt placere in carne vestra, ii cogunt vos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Nec enim, qui circumciduntur, legem custodiunt, sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur.

Nam suae libertati, et in genuitati opponit aliorum timorem, et simulationem. Nam ego, inquit, non sum veritus his litteris circumcisionem aperte rejicere, tametsi non ignorem multos mihi mortales ob eam rem futuros inimicos. At, qui circumcisionem suadent vobis, non ex animo, aut quod ita sentiant suadent; placere enim hac ratione Judaeis volunt, et illorum vitare indignationem. **PLACERE**, inquit, **VOLUNT IN CARNE VESTRA, QUI COGUNT VOS CIRCUNCIDI**. Id est, de injuria et molestia carnis vestrae conciliare sibi apud Judaeos gratiam volunt, et se probare illis quod sint servandae legis auctores, et sic declinare molestias, quas Judaei exhibent iis, qui ingenue praedicant crucem Christi, quique eam esse affirmant instar omnium legis sacrificiorum. Id enim Paulus persecutionem crucis nominat, vel certe persecutionem illi similem, quae in crucem egit ipsum Christum. Itaque, inquit, hujus rei sollicitati metu atque inducti, circumcisionem praedicant, non quod eam probent, aut vim justitiae conferendae in ea inesse putent. **NAM QUI CIRCUNCIDUNTUR LEGEM NON OBSERVANT**. Id est, qui vos circumcidi cogunt, quique circumciduntur, ipsi, legem non custodiunt: ex quo apparet ipsos non duci legis studio, sed comparare sibi apud Judaeos gratiam et laudem velle, certe venditare se illis atque jactare cupere, a quo certe ingenuus Christi cultor abesse debet plurimum. Quare subjungit:

7.—Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Quasi dicat. Illi laudem apud Judaeos sibi quaerant ex injuria atque dolore acerbo carnis vestrae: at ego nihil in laude pono, nihil cupio mihi laudi tribui praeter ingenuam crucis Christi praedicationem; caeteras hominum laudes et approbationes nihil moror: ut enim illi me pro cruce affixo habent, id est, despicabilem et contemptibilem, et crucis supplicio dignum ducunt; ita ego vicissim ipsos miseros judico, et maximo infortunio mactandos video: et aperit qua inductus ratione illos flocifaciat, quia scilicet, quae Christus probat, ea tantum judicat pretio digna esse: et ut subjungit:

8.—In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed nova creatura.

Circumcisionem Judaeorum leges nominat, praeputium gentilium ritus, novam creaturam Spiritus Sancti infusione per fidem Christi animum hominis interius renovatum, id est, novam gratiae vitam, hoc est, fidem per charitatem operantem. Nam ea animi constitutio unice grata est Deo ob imaginem Christi, quam refert. Vocat autem vitam gratiae novam creaturam: creaturam, quia, cum primum esse incipit, in nobis tota est a Deo: novam, quia senescit nunquam. Etenim hominum studia reliqua, etsi aliquando florere videantur, atque vigere, tamen paulo post quodam veluti senio contabescunt, et conficiuntur. At gratiae vita nunquam tendit ad interitum, sed ad meliora semper et potiora progreditur: itaque, quod ad se attinet, neque veterascit unquam neque extinguitur. Sequitur:

9.—Et quicumque hanc regulam sequuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. De caetero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto.

Concludit, tandem, et disputationem institutam, et epistolam ipsam, bene precando iis, qui suam istam doctrinam amplexi fuerint. QUICUMQUE, inquit, HANC REGULAM SEQUUTI FUERINT, id est, hanc doctrinam de legis imbecillitate, et efficacia fidei Christi, PAX SUPER ILLOS, id est, contingat, atque adeo continget illis pax ea, quae est tranquillitas mentis turbidis affectibus vacuae, ET MISERICORDIA, id est, divinae naturae impressio, et Spiritus Sancti communio indita ipsis, quae misericordia jure nominatur, quia a misericordia Dei erga nos oritur maxime. ET SUPER ISRAEL DEI. Quidam sic. Pax super illos, qui hanc sequuti fuerint regulam, qui et ipsi alio nomine Israel vocari possunt. Sed verius mihi videtur a singulis ad universos convertisse Paulum votum, et precationem suam, more in hac scriptura recepto. Nam quae bene precatus est uni hominum generi, charitate sublatus, universo generi piorum bene precatur (1). Sic David in quodam psalmo ad extremum conclusit (2): Et pax super Israel. Et in alio: Et super populum tuum benedictio tua. Denique epistolam claudit, ac dicit: DE CAETERO NEMO MIHI MOLESTUS SIT. De caetero, id est, quod reliquum est, ut tandem finiam, volo ut nemo mihi molestiam exhibeat, falso jactans de me superiora illa, nimirum legalia observare me, nec idem semper sentire, sed versare me ad tempus, et aliud simulare, aliud saepe agere. Quid enim attinet ista confingere, quae rebus ipsis ut falsa refelluntur, nihil tam prae se ferunt facta atque mores mei, quam me gratiae et crucis Christi prae-

(1) Psal. CXXIV. (2) Psal. III.

conem esse, usque eo ut livores ejus et stigmata impressa geram in meo corpore. Vocat autem stigmata, quae ob praedicationem crucis Christi passus fuerat mala omnia, de quibus ad Corinthios sic scribit (1): In vinculis saepe, in carceribus abundantius; quorum notas, cum inustas circumferret, perspicuum erat ingenue ipsum agere Christi causam, non simulate atque vafre, illi ut impostores dicebant. Quibus dictis tandem sic finit:

10.—**Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro, fratres. Amen.**

Exorsus a gratia, in gratiam desinit, quod ea Christiani hominis totam vitam contineat, cujus nobis copiam semper sufficiat Deus benignitate summa Christi, cui omnis gloria per sempiterna debetur saecula. Amen.

(1) II Cor. XI.

COMMENTARIA
IN EPISTOLAM II AD THESSALONICENSES